

i. e. consulta sint criteria et regulæ fidei, scripta scilicet et tradita testimonia Apostolorum.
e) Servatum sit genus rerum et causarum, seu fines sacri iudicii.

LVI. Hoc ergo iudicium, scriptis et traditis testimoniis Apostolorum coniunctum, illud unum atque perfectum totius religionis christianæ criterium constituit.

LVII. Sacra vero Societas, quæ religionem Jesu colit ex hoc fonte haustam, non poterit non *una, sancta, catholica*, atque *apostolica* esse.

LVIII. Atqui Religio *Romano — Catholicorum* criteriis hucusque stabilitis, aut potius hoc unico perfecto criterio sola nititur: ex quo consequens est, solam hanc ex iis, quæ se christianas profitentur, veram et integram religionem Jesu Christi esse posse.

LIX. Eadem Ecclesia *Romano - catholica* gaudet notis supra memoratis *Unitatis, Sanctitatis, Catholicitatis* et *Apostolicitatis*; et nulla alia societas eodem sensu *una, sancta, catholica, apostolica* dici valet.

§. VI.